



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Metropolis Salisbvr gensis

Continens. Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum
Collegiatarum, &c. per Boiarum, ac loca quædam vicina

Hund, Wiguleus

Monachii, 1620

Catalogus Praepositorum Monasterij Pollingensis qui haberi potuerunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13591

ipse gloria est & retributio meritorū. Nos igitur ad consequenda prædicta gaudia causam dare fidelibus cupientes omnibus verè contritis & confessis, qui monasterium in *Pollingen*, in inuentione ac exaltatione sanctæ Crucis & in dedicatione eiusdem, cum reuerentia & deuotione accesserint, de omnipotentis Dei misericordia confisi, quadraginta dies de iniuncta sibi penitentia misericorditer relaxamus. Datum apud *Pollingen* anno Domini Millesimo Ducentesimo LXIII. III. Non. Maij.

NOS *Elisabetha* Dei gratia Regina & Comitissa *Görzensis*, ac *Tyrolensis*, notum facimus vniuersis in *Passau*, in *Storzingen*, & in *Innsprug* Thelonariis, quod nos ob reuerentiam sancti *Saluatoris*, venerabilem Præpositum, & Contentum in *Pollingen* hac preuenimus gratia & fauore, quod singulis annis LXXX. equos vinum eorum portantem, sub nostra protectione pertransire dimittimus sine thelonæ exactione, per terminos nostræ ditionis, vnde ne aliquis ipsos contra hoc mandatū impedire vel molestare præsumperit, eis hanc litteram dedimus, nostri sigilli munimine roboratam, Datum anno Domini M. CC. LXIII. quarto Kalend. Octobr.

Catalogus Præpositorum Monasterij *Pollingen-*
sis qui haberi potuerunt.

Aribo Præpositus obiit die *Matthæi* Apostoli.

Herrich Præpositus obiit die *Julianæ* Virg.

Arnoldus Præpos. præfuit circa an. Dñi 1073.

Hiltipertus Præpositus & Archipresbyter, qui specialis ordinis reparator fuit, obiit altera *Nicolai*.

Chuno Præpositus piæ memoriæ obiit circa ann. Dñi 1147.7. Id. Martij, & præfuit annos 44.

Chunradus Præpositus huius loci piæ memoriæ, obiit anno Domini 1180. qui hanc Ecclesiam libris & sacris vestib. diligentissimè decorauit, & iste *Chunradus* fuit Canonicus nostri Monasterij *Pollingensis*, vir vitæ venerabilis, strenuus, fidelis, prudens, & familiaris, Capellanus Beati *Hartmanni Brixinensis* Episcopi, sibi ad eò fideliter & constanter rigido animo assistendo, vt propter seueritatem morum alter Episcopus, vel Magister Episcopi diceretur. Huius quoque consilij & piæ voluntatis affectu fabrica in *Nouacella* initium accepit. Mortuo igitur *Chunone*, eiusdem nostri loci Præposito, *Chunradus* iste Præposituræ illius dignitatem, licet inuitus, suscepit, vbi venerabiliter degens, Deoque deuotè seruiens Christo, religiosam vitam beato fine conclusit, anno quo supra, die verò animarum S. altera Nouembr. & præfuit prælaturæ 32. annos.

Ex membrana antiqua de sancto

Hartmanno.

Dedicatio altaris sanctæ *Mariæ*

Magdalene.

ANno ab incarnatione Domini M. C. LX. indict. VIII. 3. Nonas. Nouemb. dedicatur hoc altare à venerabili sanctæ Brixinensis Ecclesiæ Epō *Hartmanno* in honorem sanctæ Dei genitricis *Mariæ* V. SS. apostolorū *Simonis* & *Iudæ*, SS. Mart.

Alexan.